



## **Summæ Theologicæ Scholasticæ Et Moralis In Qvatuor Partes Distributæ Pars ...**

In qua de Virtutibus in Communi, & Theologicis, Fide, Spe & Charitate, nec  
non Virtutibus Cardinalibus, præsertim Justitia & Jure, ac Religione  
ceterisq[ue] annexis, & Vitiis Oppositis in particulari breviter & dilucidè  
tractatur

**Herincx, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1663**

Dispytatio II. De Fidei Notione & Objecto.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72941](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72941)

is reproducet fomitem concupiscentiae, forte etiam defectus corporales: cum non congruat damnatos resurgere perfectiores, quam hic fuerint.

93. Vitia non manent in animabus purgatorii.

An vitia maneat in animabus purgatorii, dubitari possit. Sed credibilis omnino videtur, quod non. Est enim gratia in iis necdum sit consummata quoad beatitudinis possessionem, est tamen consummata in ordine ad exercitium operationum honestarum, & negationem omnis pravæ operationis, ut proinde isti pravi habitus in iis numquam possint exire in actum. Deinde si animæ ibi essent cum corporibus, non haberent fomitem concupiscentiæ: sed quæ nec habent vitia, nihilominus ab iis in patria tollenda; quæ proinde congruentius tolluntur antea, nec in acceptissimis Deo animabus quidquam remaneat, quod pœnæ generaliter à Deo merita non deservit. Quare etiam non manebant in iis errores, adeoque nec vitia.

Nec refert, quod maneat in iis macula peccati venialis in vix non deleti. Nam in primis illa tollitur per contritionem à singulis animabus pro momento instanti separationis à corpore eliciendam. Deinde illa manet tamquam pœna per se peccati, donec per retractationem tollatur.

Non refert etiam, quod vitia sic possent ab animabus tolli per actus contrarios ibi eliciendos. Nam cum non spectent per se ad pœnam, cumque facerent ad bonum difficiliores, cum tamen non possent statim & simul tolli per actus, uti potest tolli omnis reatus culpæ, congruentius est, ut tollantur à principio.

Quæ de cætero concernunt vitia, intelligi possunt, partim ex dictis de peccatis in communi in parte 2. Theologiæ, partim ex jam dictis de virtutibus in communi, partim denique ex ulterius dicendis de Virtutibus & Vitiis in particulari.

DISPUTATIO SECUNDA.

De Fidei Notione & Objecto.

QUESTIO I.

Quid sit Fides?

quod non est ex fide (id est, quod est contra dictamen conscientiae) peccatum est. Quo sensu illud etiam intellexit Innocentius III. C. Fin. de Prescriptionibus, declarans proinde non valere prescriptionem absque possessione bonæ fidei.

Quintò juxta Rossensem, Vega, Valentia & alios, interdum sumitur pro fiducia consequendi rem desideratam aut promissam. Matth. 14. Modice fides, quare dubitasti? Et Jac. 1. Postulet autem in fide, nihil habetis. Alii tamen Doctores cum Dominico Soto lib. 2. de Nat. & grat. c. 6. Et Estio in dictum locum Jacobi, non infundatè contendunt, etiam in præfatis locis esse sermonem de ipso assensu credulitatis divinatorum promissorum, cujus quidem effectus est ipsa fiducia; idque conformiter ad illud Marc. 11. Omnia quaecumque petitis, credite, quia accipietis. Vide Estium supra. Eò autem magis excluditur ab usura Hæreticorum acceptio, usurpantium fidem Christianam & justificantem pro fide seu fiducia sua speciali. Quidquid autem de hoc sit, istud insanum eorum dogma de fiducia speciali est omnino infundatum, & à nobis ex professo resutatum Tract. de Justif. dist. 5. quest. 1.

Itaque sextò, & ad sensum præsentis loci, fides sumitur pro credulitate seu assensu, quo intellectus assentitur dictis alterius ob illius auctoritatem; quæ si sit humana, erit fides humana; si divina, erit fides Theologica. Quo sensu non solum sumitur in Scriptura ad Hebr. 11. & alibi; sed etiam frequentissimè apud Scriptores, tum profanos,

2. An aliquando in Scriptura accipitur pro fiducia.

3. In præsentè & usitate sumitur pro assensu credulitatis.



IDEI nomen variè sumitur. Primò pro fidelitate seu veracitate in servandis promissis. Ad Rom. 3. Numquid incredulitas eorum fidem Dei evacuabit? id est, numquid faciet, ut Deus non staret promissis? A qua exceptione parum aut nihil differt illa, qua generatim sumitur pro veritate seu veracitate in dictis. Juxta quam dicitur 1. ad Timoth. 2. Fidelis, id est, verax, sermo. Et Apoc. 1. Christus dicitur testis fidelis, id est, verax. Consonatque Etymologia vocis Fides, quæ ab eo dicitur appellata, quia sic quod dicitur, ut post Cicero-nem l. 1. de Officiis, habet Augustinus, Ep. 19.

I. Fides frequenter sumitur pro fidelitate aut veracitate.

Et per analogiam pro ipsa promissione ex fidelitate servanda.

Interdum etiam pro existimatione quæ ex veracitate nascitur.

Interdum pro conscientia.

Secundò ob analogiam quandam ad fidelitatem, etiam ipsa promissio, quæ ex fidelitate est implenda, dicitur fides, 1. ad Timoth. 5. Primam fidem veritatem fecerunt; id est (ut explicat D. August. in Psal. 75.) voverunt, & non reddiderunt.

Tertiò sumitur pro auctoritate seu existimatione, quam veracitas in dictis & promissis generat. Quo sensu dicitur quis esse apud alios probæ vel nullius fidei. Et Eccl. 27. Qui denudat arcana amici, silem perdit.

Quartò usurpatur pro conscientia, quæ est assensus quidam & credulitas, cuique conformatur veracitas. Quo sensu communiter accipitur illud ad Rom. 14. Omne Hericæ Sum. Theol. Pars 111.

fanos, tum sacros. Sic Cicero l. 2. de Divinat. versus finem: *Insanorum* (inquit) *visis non est fides adhibenda.* Et *Virgilius* l. 4. *Enaidos*: *Credo equidem, nec vana fides, Gens esse Deorum.* Et *Augustinus* l. de Spiritu & Litt. c. 31. *Aliter dicitur, non mihi habuit fidem, aliter autem, non mihi servavit fidem: nam illud est, non creditur quod dixi; istud, non fecit quod dixit &c.* Quare per quemdam tropum etiam objectum ipsum fidei sic sumptæ fides vocatur in *Symbolo Athanasii*: *Hac est fides Catholica*, id est, hæc sunt mysteria fidei, & per illam credenda. Et ad *Gal. 3. Ex operibus legis spiritum accepistis, an ex auditu fidei?* id est, doctrinæ fidei. Vide plura apud *Valentia* in princip. Tom. 3.

Vnde per tropum etiam tribuitur ipsi objecto.

4. Fides Theologica quid.

Fides Theologica rectè definitur habitus vel actus (prout de fide habituali vel actuali fuerit sermo) supernaturalis intellectus, quo firmiter, sed obscure assentimur iis, quæ Deus seu Prima Veritas revelavit, sive testata est.

Definitio Apostoli.

Apostolus autem ad *Hebr. 11.* describit fidem taliter: *Est autem fides sperandarum substantiarum rerum, argumentum non apparentium.* Ubi iuxta Theologos communitet continetur non solum quoddam fidei encomium (quidquid dixerit *Erasmus ibid. in Comment.*) sed vera illius definitio, saltem per proprietatem aut effectum. Nam esse substantiam seu hypostasem sperandarum rerum, sive basim, cui spes & salus nostra innititur, est proprietas ipsius fidei; quæ consequenter debet esse certissima, veluti fulciens spem Christianam, quæ est certissima. Hoc porro facit fides, quatenus ea quæ speramus, ex fide fiunt certa, & consequenter quatenus nos de iisdem certi & securi reddimur. *Chrysostomus* verò, quem reliqui Græci sequuntur, per hypostasim intelligit substantiam seu existentiam, hoc sensu, ut fides sit existentiam speratarum rerum, nempe per metonimiam ab effectu; eò quod etsi spe pendente non existant, fides tamen eas ipsas nobis quodammodo existentes & præsentis exhibeat, dum nos adeò de iis certificat, ac si jam re ipsa essent præstitæ & obtentæ. Unde *Paraphrasis Syriaca* habet: *Est autem fides persuasio super iis, quæ sunt in spe, ac si essent ipsis* (supple, credentibus) *in actu sive effectu.* Uterque autem sensus eodem ferè collimat.

Quo sensu fides sit substantia sperandarum rerum.

5. Quo sensu sit argumentum non apparentium.

Quod autem subditur, fidem esse argumentum non apparentium, intelligitur de argumento infallibili, prout etiam sola ratio certò concludens propriè argumentum dicitur: *Argumentum enim* (inquit *Philosophus in Rhetorica c. Argumentum*) est, quod aliter habere non potest, atque ipsi dicimus. Et consonat *Cicero lib. 2. 99. Academic.* Unde *Aug. Tract. 79. in Joan. loco argumentum legitur convertio.* Est itaque fides ostensio earum rerum, quæ non videntur à nobis; non quod aliunde etiam nobis ratione naturali non possit aliquo modo fidei mysterium esse eviden-

ter notum, sed quòd fides sit firma adhæsiò, seu faciat nos firmiter adherere, etiam iis, quæ aliunde nobis non apparent: adeòque supponitur in sensu ampliatiò. Non enim sentit Apostolus id omne quod creditur esse non apparet, sed fidem esse eam animi qualitatem, quæ propter divinam auctoritatem seu Dei verbum certissimè recipimus etiam ea quæ non apparent, quæque sensus humanus credere refugit. Aliàs etiam ea, quæ apparent ex lumine rationis naturalis, si testimonium habent divinum, credi possunt, v. g. quod Deus est, quod unus est &c. Quamvis in his credendis non ita eluceat virtus fidei, utpote quæ etiam citra divinum testimonium recipiuntur. Prout sunt & illa, quæ sensu, experientià & humanis testimoniis sunt abundè perspecta, v. g. Jesum esse crucifixum & mortuum, Dividem regnasse, Paulum Gentibus prædicasse, & similia.

Porro notandum posteriorem hanc partem plura complecti quàm priorem: nam plura creduntur, quàm sperantur; cum sola bona eaque futura & absentia sperentur, credantur verò bona & mala, tam præterita & præsentia quàm futura. Unde fides non tantum est Substantia sperandarum rerum, sed generaliter argumentum non apparentium.

QUESTIO II.

De Objecto Materiali Fidei.

**D**ico I. Objectum materiale fidei generationis & adæquatè sumptum est omne id quod Deus nobis per se vel per alios revelavit. Pater: quia totum hoc & solum credimus fide divinà. Unde mysteria, quæ Deus de facto non revelavit, adeòque non informantur testimonio primæ veritatis, non pertinent de facto ad fidei objectum, etsi pertinere possint, si revelentur. Prout revelari potest, quælibet veritas objectiva. Quare etiam ipsa fides est objectum fidei, scilicet specialis actus, quo credo fidem dari: similiter divina veritas, quatenus potest credi Deum esse veracem, etsi ipsa aliunde sit ratio motiva. Propositio tamen illa, in qua involveretur negatio divini concursus ad eliciendum actum fidei supernaturalis, non potest esse objectum materiale fidei supernaturalis: nam si v. g. Deus haberet efficax decretum (quale de facto non habet) numquam concurrendi ad talem actum supernaturalem, implicaret omnino credere supernaturaliter huic reflexæ propositioni à Deo revelabili: Deus efficaciter decretum numquam concurrendi ad actum si lei supernaturalem. Posset etiam absolute dari propositio, quæ foret vera (etsi de facto non detur talis) & tamen à Deo non revelabilis, v. g. hæc: *Deus nil vult revelare*; &c. *Deus hoc ipsum novit*; in casu scilicet simpliciter possibili, quo Deus

6. Quodnam generatum objectum materiale fidei. Ad ipsum spectant sola actu revelata.

Eriam ipsa fides & veritas Dei.

Dari absolute posset veritas non potens credi supernaturaliter.

Immo nec revelabilis, etsi de facto non detur.

Deus decrevisset nil omnino revelare.

7. Objectum Fidei complexum quid.

Quid simplex.

Subjectum Fidei quid.

8. Deus est subjectum primum primarum dignitatis.

Et attributa sunt.

Objectum fidei solet dividi in simplex & complexum. Complexum dicitur ipsa propositio objectiva, cui assentimur, per judicium scilicet complexum, seu compositionem aut divisionem: v.g. *Deus est aternus*. Ipsum autem praedicatum, scilicet aternitas, est objectum simplex, sive mysterium quod creditur Deo convenire. Subjectum denique propositionis revelatae & creditae, scilicet Deus, est objectum simplex, de quo creditur quod sit aternus. Quod Varii appellant subjectum, potius quam objectum fidei; etsi hoc ad quaestionem de nomine spectet.

Dico II. Deus ut sic est subjectum primum fidei Theologicae. Et in primis quidem ipsum eatenus esse subjectum primum primarum dignitatis, est indubitarum: cum sit nobilissimum inter omnia, quae per fidem Theologicam attinguntur. Esse vero etiam subjectum primum attributionis docet Scotus cum suis, D. Thomas cum suis, & plerique alii Recentiores; ut videre est apud Franciscum Castello hic disp. 1. quaest. 3. num. 9. Probatur tum quia juxta D. Thomam 1. p. qu. 1. art. 7. Scotum q. 3. Prilogi q. 2. Lopez num. 8. idem est subjectum fidei, quod Theologiae; hujus autem subjectum attributionis est Deus. Tum quia sicut in scientiis illud dicitur objectum scientiae, quod in potissimis illius Conclusionibus habet rationem subjecti, sic in doctrina fidei ratio subjecti simpliciter tribuenda est ei; quod in potissimis fidei articulis sortitur ratione subjecti; quales sunt, Deum esse, esse Unam, Trinam, Creatorem, Salvatorem, Incarnatum, Redemptorem, Finem nostrum, &c. in quibus omnibus Deus est subjectum. Tum quia tota doctrina fidei eo refertur, ut cognoscamus quis, qualis, quantum sit Deus in se, & qua ratione cum colere, ac ad eo beate fruendum tendere debeamus. Unde non male cum aliquibus vocari posset subjectum intentionis seu specialiter intentum. Recte item dixit Augustinus lib. 4. de Civit. c. 20. *Fidei primum maximumque officium est, ut in verum credatur Deum*. Inde etiam fides ipsa divina seu Dei appellatur. Confirmatur: quia fides supplet hic visionem patriae. Visio autem pro objecto attributionis habet Deum.

9. Esi potest esse qui non agens.

Sunt tamen nonnulli Recentiores, signanter Arriaga d. 1. sect. 1. subsect. 2. qui contendunt fidem non habere proprie subjectum attributionis, eo quod hoc nomine significetur illud, ad cujus cognitionem sic ordinata cognitio ceterorum ad eundem habitum spectantium, ut eisdem cognitio quasi inferatur ex noticia ceterorum. Nihilominus satis ex ceteris articulis revelatis ac fide divina creditis inferri potest noticia Deitatis revelantis: quidquid sit de veritate conditionis ab Arriaga requisitae *Horinc. Sum. Theol. Pars III.*

ad gaudendum nomine subjecti attributionis; quam (si opus foret) facilius est negare, quam in quaestione de voce a communi modo loquendi Doctorum recedere. Et quamvis contingenter sub habitum fidei cadant objecta revelata, praesertim contingenter, sic ut supposita veritate contradictorii, hoc ipsum revelari potuisset, solum inde sequitur objectorum istorum fidei ad objectum primum ordinem esse contingentem, eique connecti solum mediante revelatione libera Dei.

De cetero etiam ex natura rei non est necessarius ordo inter alia objecta credibilia inter materialia: singula enim sic sunt revelata, ut independentes ab aliis potuissent revelari: is exceptis, quae velut essentialiter in ipsis includuntur, prout v.g. in revelata processione Spiritus sancti a Patre & Filio includitur ipsa existentia Patris & Filii. Proprium itaque est objecto formali seu motivo, quod necessario supponatur praecognitum objecto materiali. Ideoque dixi signanter inter objecta mere materialia: sunt enim duo objecta materialia, quae simul sunt formalia aut quasi formalia, nempe Deum esse veracem, & ipsum hoc vel illud quod credimus revelasse: quae necessario praecognosci debent ante objectum materiale vi illorum creditum; ut pote quod credimus permoti ex hoc quod sit revelatum a Deo, qui nec falli nec fallere potest: ab his autem moveri non possumus, nisi quatenus cognitis.

Inter objecta fidei an vel qualis ordo.

Petes, an omnia objecta fidei aequaliter ad eam pertineant? Resp. eatenus omnia aequaliter ad fidem pertinere, quatenus saltem implicite aequè firmiter credenda sunt; atque adeo etiam explicitè, quando sciuntur esse a Deo revelata, aut sufficienter tamquam a Deo revelata nobis proponuntur; ita ut omnis dubitans, an res aliqua sit vera, quantumvis minima videatur, quam scit a Deo revelatam, aut aperte in Scripturis contineri, aut ab Ecclesia ut talem Fidelibus credendam proponi, verè sit haereticus, non minus quam si de alia re maximi momenti dubitaret: quia implicite negat Deum esse infinite veracem. Alia tamen ratione quaedam minus principaliter ad fidem pertinent, quatenus non tenemur omnes articulos seu propositiones fidei aequaliter cognoscere, & consequenter nec aequaliter explicitè credere, ut infra ostendemus.

10. An omnia aequaliter ad fidem pertineant.

QUESTIO III.

De Objecto formali, ultimae Resolutione fidei.

NONNULLI referuntur existimasse, fidem ultimò resolvi in supremum Dei dominium, allegantes illud Apostoli 2. Cor. *C 2*

11. Varia de objecto formali sententiae. 10. In

sentia refu-  
tantur.

10. In captivitate redigentes omnem intelle-  
ctum in obsequium Christi. Sed hæc Opinio  
velut omni fundamentum destituta commu-  
niter & merito rejicitur, supremum enim  
dominium nil confert ad elicendum actum  
fidei per modum objecti seu motivi; etsi  
ipsum sit radix seu titulus, ex quo oritur,  
Deum nobis posse imperare actum fidei,  
uti alios actus præceptos. Apostolus autem  
solum insinuat nos ob divinam auctoritatem  
oportere postponere rationes humanas, &  
adherere mysteriis fidei, voluntate sese sub-  
mittente, & intellectui imperante, ut mo-  
tiva credibilitatis fidei attendat, & assen-  
sum præstet.

Quidam Alii (inter quos refertur Au-  
reolus apud Capreolam 3. d. 24.) fidem dixe-  
runt resolvi ultimò in ipsam Deitatem. Nã  
divina veritas, quæ resolvitur primò in  
infinitam Dei sapientiam & bonitatem,  
tandem in ipsam Deitatem (uti omne attri-  
butum divinum) resolvitur. Verùm hæc  
quoque Opinio communiter rejicitur: etsi  
enim veritas resolvatur in Deitatem tã-  
quam ultimam rationem essendi, resolutione  
velut metaphysicã, & quoad notitiã scienti-  
ficam, non tamen tamquam in formalem  
rationem credendi, quæ potius sistit in ipsa  
veracitate, fide non attendente, unde ipsa  
Deo competat. Quemadmodum formalissi-  
mè resolvitur visio objecti in hoc, quòd sit  
coloratum, tamquam in causam formalem  
extrinsecam; etsi ulterius quærenti, cur sit  
coloratum, respondeatur, quia componitur  
ex qualitatibus primis, ex quibus resultat  
similis color. Itaque aliud est Deitatem esse  
causam, cur Deus sit summè verax: aliud,  
ipsam esse rationem formalem cur creda-  
mus: hæc enim est ipsa veritas, essetque,  
etsi ipsa non oriretur ex Deitate.

Aliqui dixerunt fidem resolvi ultimã  
in auctoritate Ecclesiæ. Quod an & qua ra-  
tione verum sit, explicatã nos à doctrinã  
videbitur. Aliqui denique existimasse re-  
feruntur, quòd ultima resolutio fidei stet  
penes ipsum fidei lumen infulum. Quod  
num. 19. refutabitur.

12.  
Communis  
& vera se-  
sentia pro  
objecto for-  
mali statuit  
primam ve-  
ritatem in  
revelandã.

Itaque communis & vera doctrina est  
fidem nostram pro objecto formali quo, sive  
motivo, in quod proinde ultimã resolvitur,  
habere primam & infallibilem veraci-  
tatem Dei, seu veritatem in revelando, ad eò  
ut si quæratür formalis ultimata ratio, cur  
Catholicus hoc vel istud credat, sit, quia pri-  
ma Veritas id revelavit. Quam doctrinam  
tradit Scotus variis locis apud Smysing pro-  
om. 9. 2. num. 64. Franciscum Castillo disp. 1.  
q. 3. num. 47.

Probatür  
variã.

Probatür I. Quia fides nostra nititur te-  
stimonio Dei; testimonii verò auctoritas  
resolvitur in veritatem testis, quæ ipsa  
proinde est motivum. Assumptum mani-  
festè patet ex Scripturis, afferentibus nos  
mysteria fidei credere tamquam dicta Dei,  
Math. 16. Caro & sanguis non revelavit tibi,

sed Pater meus. Joan. 1. Unigenitus, qui est in  
sinu Patris, ipse enarravit. 1. Joan. 5: Spiritus  
est, qui testificatur, quoniam Christus est ve-  
rius &c. qui non credit Filio, mendacem facit  
eum (scilicet Deum) quia non credit in te-  
stimonium, quod testificatus est Deus de Filio  
suo. Ad Galat. 1: Neque enim ego ab homine  
accepi illud, sed per revelationem Jesu Chri-  
sti. Et pluribus aliis locis.

Probatür II. Quia in omni fide assenti-  
mur propositioni ob auctoritatem assentientis:  
ergo per fidem divinam assentimus propo-  
sitioni ob auctoritatem seu veritatem di-  
vinam.

Probatür III. Quia illud est obj. & cum  
motivum fidei divinæ, à quo ipsa sumit  
suam infallibilitatem, per quam nimirum  
distinguitur à fide humana. Infallibilitatem  
autem sumit à Deo sub ratione primæ ve-  
ritatis, in dicendo.

Accipitur autem prima veritas in dicen-  
do seu veritas Dei, ut sit idem, quod divi-  
na auctoritas; adeoque includit non solum  
voluntatem non mentiendi, seu impotentiam  
ad fallendum activè, sed etiam impotentiam  
grandi, seu deceptionis passivæ. In quo di-  
stinguitur à veracitate humana, quæ consi-  
stet in hoc, quòd homo loquatur, prout pu-  
tat, seu quòd non mentiatur: etsi contingat  
ipsum defectu scientiæ falli seu errare.  
Ideoque non firmiter credimus homini lo-  
quenti, etiamsi firmiter esset nobis persuasã  
ejus veritas: eò quòd non constet ipsum  
inscianter falli. Itaque divina veritas seu  
auctoritas fundans fidem nostrã summam  
infallibilitatem completitur infinitam Dei  
sapientiam, quæ falli non potest, ejusdem-  
que bonitatem, quæ fallere nequit. Atque  
ita interroganti, cur credam Deo, formalis-  
simè & præcisè respondeo, quia Deus hoc  
mihi revelans nec potest falli, quia summè  
sapiens, nec fallere, quia summè bonus.

Dices I. Si fides Theologica innititur  
divinæ veritati tamquam motivo, multi  
simplices fideles non credent fide divinã:  
plerique enim ex illis non credunt præcisè  
ob Dei revelantis auctoritatem, sed quia  
Pastor, Parentes, aut Ecclesiã ei dicunt ita  
esse. Resp. In simplicioribus illis subinde so-  
lius fidei humanæ actus reperiri; qui pro-  
inde instruendi sunt, ut credant ob aucto-  
ritatem Dei. Plerumque tamen creditur fide  
divinã, etsi enim multi non cogitent expli-  
citè de divina revelatione, & auctoritate; in  
eam tamen confusè feruntur, dum v. g. cre-  
dunt ob Ecclesiæ auctoritatem, eò quòd in  
ea apprehendant aliquid divini; aut quan-  
do credunt sibi aliquid à Pastore vel Pa-  
rente dictum, non quomodocumque ut ve-  
rum, sed ut verum divinum sive à Deo re-  
volutum. Quòd autem sæpè non videantur  
cogitare de divina revelatione, dum cre-  
dunt, sit propter consuetudinem & facilita-  
tem in credendo; ita ut non reflectant se ad  
credendum moveri auctoritate divinã.

Dices

13.  
In quo pri-  
ma Veritas  
constituitur,  
decloratur.

14.  
An simpli-  
ciores ab eã  
moveantur.

15. Dices II. Sicut pro ratione aliquid credendi assignatur, quod prima veritas id revelaverit; sic etiam assignari potest pro ratione, quod Ecclesia istud declaret seu tradat: immo si quaratur à Catholicis, cur credat seu sciat primam veritatem articulos fidei Christianae revelasse, hic tandem recurret ad Ecclesiae illos proponentis auctoritatem, in quam proinde stare videtur ultima fidei resolutio.

Vno modo Ecclesia spectata à testimonium est ratio cognita revelationis.

Resp. Ecclesiam dupliciter posse considerari. Primò, quatenus infallibilis habet Spiritus sancti assistentiam in iis, quae Fidelibus credenda proponit. Et eatenus substat auctoritati divinae, eamque participat, mediante revelatione, quae Deus revelavit huiusmodi infallibilem assistentiam, quae ipsa nimirum est una ex revelatis. Estq; apud Catholicos hanc infallibilitatem admittentes sufficientissima ratio cognita revelationis circa reliquos articulos, quod nimirum Ecclesia, quae infallibili directione sancti Spiritus gubernatur, eos tamquam revelatos proponat. Non est autem proprium motivum credendi, nisi auctoritas divina, cui Ecclesia sic considerata substat. Unde si quaratur, cur hoc ipsum de Ecclesiae infallibilitate credamus, ad primam veritatem revelantem est recurrendum. Si ulterius quaratur, cur credamus, seu unde sciamus Deum id ipsum revelasse; non restat alia ratio à priori, sed ad motiva credibilitatis recurrendum est, ut mox præbit.

16. Secundo potest considerari Ecclesia quatenus est quaedam Congregatio hominum variis notis (de quibus infra) præfulgens. Et eatenus ejus auctoritas, utpote non divina, sed humana, nequit esse propria ratio seu motivum, in quo veluti cardine fides nostra supernaturalis suspenditur, seu in quod ipsa resolvatur: quae proinde in ipsam revelantis Dei auctoritatem supremam resolvitur, sic ut præcisè ratio velut à priori, cur singulis articulis credamus, sit, quia prima veritas eos revelavit, neque alia prior seu ulterior ratio assignari possit. Ad Ecclesiae tamen auctoritatem recurritur, veluti ad rationem quamdam à posteriori, & quoad nos, ostendentem seu proponentem & applicantem nobis revelationem Dei; quae per Ecclesiam sic nobis innotescit, ut prudenter fide Deo dignam adhibeamus, immo temerarie & stulte assensum præbere detrectemus: idq; si Ecclesia revelationem proponat de suamet infallibilitate, siue de aliis rebus. Cum enim singulis non fiant novae revelationes, hinc sicut revelatio per Christum & Apostolos facta innotuit & credibilis facta fuit Fidelibus prædicationem audientibus & signa palpantibus; sic hæc ipsa revelatio nobis innotescit per propositionem Ecclesiae tot fulgidis notis insignita. Et sicut innotescere debuit primis fidelibus seu immediate revelationem accipientibus, tum quod esset à Deo, tum sensus clarus ejusdem, ut crederet sine fluctua-

tionem, & ad id obligarentur: sic ad nos eadem revelatio propaganda erat similibus notis, quae facerent evidentiam credibilitatis, seu rem tam credibilem, ut sine imprudentia quis renuntiet omnibus argumentis oppositum suadetibus, ac firmissimam Deoque dignam fide se subiciat primae veritati revelanti. Unde August. l. contra Epist. Fundam. c. 5. rectissime dixit: *Ego verò Evangelio non crederem, nisi me Catholica Ecclesia commoveret auctoritas.* Et infra: *Cui Libro (Actuum Apostolorum) necesse est me credere, si credo Evangelio, quoniam utramque Scripturam simul. & mihi Catholica commendat auctoritas.* Revelatio nempe primae veritatis, in se quidem irrefragabilis, non per quemvis eam vendentem irrefragabiliter innotescit; sed per Ecclesiam, quae tot fulgentibus notis insignita facit evidenter credibile, quidquid tamquam revelatum proponit, siue de se ipsa, siue de aliqua alia re. Sicut Apostolis, res sua prædicatione & signis credibiles facientibus, pari firmitate erat credendum, siue de se, siue de alio quidpiam testificarentur: v. g. siue Paulus trad. Timoth. 2. de se diceret: *In quo positus sum ego prædicator & Apostolus & Doctor Gentium;* & Joannes de se cap. ult. *Scimus, quia verum est testimonium ejus, siue Christi v. g. mortem, divinitatem &c. uterque prædicaret.*

E contra Hæreticis deficiunt signa huiusmodi credibilitatis, siue dum se Apostolos, Reformatores &c. prædicant, siue dum alios suarum sectarum articulos proferunt. Unde in omnes quadrat dictum illud Augustini contra Marcianos lib. de util. credendi c. 14. *Vos autem & tam pauci, & tam turbulenti, & tam novi, nemini dubium est, quin nihil dignum auctoritate præferatis.* Ad eò ut nequidè vera aliqua suis erroribus immixta prædicantibus, utpote signis authenticis credibilitatis carentibus, divina sit fides adhibenda, juxta Augustinum supra: nam Christum fuisse aut esse non putarem, si abs te mihi hoc commendaretur, esse credendum; ut ibi præmittit.

Ex his patet, quomodo non committatur circulus in resolutione fidei: nam dum pro ratione credendi assignatur prima veritas revelans, datur ratio à priori velut immediata & prima, in quam etiam resolvitur ipsa Ecclesiae infallibilitas quatenus fidei credita. Dum autè recurritur ad auctoritatem & testimonium Ecclesiae, assignatur ratio à posteriori, & quoad nos, cognita revelationis, quia videlicet mediante propositione Ecclesiae tot notis præfulgidæ cognovimus per lumen fidei sermonem istum esse Dei, & ut talem recipiendum. Sicut pro ratione hujus propositionis, Homo est animal rationale, datur, quod sit primò vera & habens immediatam terminorum connexionem. Si verò ratio quaratur, unde hoc ipsum sciat, non aliud dici potest, quam quod mediante instructione Magistrum per lumen naturale intellectus id tandem percipierit.

17. Defectus omnium Hæreticorum hac in parte.

18. Qualiter in resolutione fidei vitetur circulus.

Itaque existentia revelationis fit credibilis per notas Ecclesiæ. quod quidem iudicium evidentis credibilitatis est naturale. Eo tamen prævio, fides firmiter fertur in rem creditam tamquam objectum materiale, & primam Veritatem revelantem tamquam objectum formale, adeoque etiam respicit ipsam veracitatem & revelationem Dei.

19.  
Non posse  
pro ratione  
credendi  
status lu-  
men fidei,  
declinatur.

Dices III. Ratio ultimata cur credamus, & quidem tantâ firmitate, videtur referenda in lumen fidei infusum, per quod Deus testetur credenti, rem ita se habere; utpote cui sine illo non crederemus. Ita referuntur quidam sentire. Resp. Neg. Aff. Nam habitus seu lumen fidei efficit quidem actum fidei divinæ, non tamen ad illum objectivè movet, adeoque se tenet potius ex parte potentie, quam objecti. formale siquidem objectum alicujus assensus non movet ad illum, nisi mediâ sui cognitione. Sic autem movet sola prima Veritas revelans seu divina auctoritas, etiam adjuvante instar causæ efficientis lumine fidei, id est habitu ipso, vel actuali auxilio suppleto defectum habitus, ad credendum firmitate Deo dignâ, ea quæ per Ecclesiam seu signa certa credibilitatis proponuntur.

#### QUÆSTIO IV.

An vel Qualiter ad Objectum formale Fidei spectet Revelatio?

20.  
Certum est  
revelatio-  
nem quo-  
dammodo se  
tenere ex  
parte objecti  
formalis.

EX Scripturis & communi consensu constat testimonium seu revelationem Dei concurrere ex parte objecti ad eliciendum fidei actum, utpote per quem credimus mysteria, quia prima Veritas illa revelavit. Unde quadam ratione tenet se ex parte objecti formalis motivi, quatenus objectivè cognita determinat intellectum ad præbendum assensum. Immo varii Recentiores post Valentia, Suarez, Vasquez, Lorca, Pyrronianum, Comick disp. 9. dub. 4. existimant etiam ipsam revelationem propriè esse pariale objectum formale motivum fidei. Et quidem plerique non distinguunt inter revelationem activam & passivam; quin potius de utraque loquuntur: etiam Nonnulli ita sentiant de sola revelatione activa, Nonnulli de sola passiva. Pro quorum terminorum intellectu.

Cujus an sit  
proprie  
pars, dispu-  
satur.

21.  
Revelatio  
activa quid.

Contingit  
varius mo-  
dis.

Adverte revelationem seu locutionem divinam esse positionem signi factam à Deo eo fine, ut aliquam rem & consequenter conceptum suum de eadem re manifestet cui loquitur, juxta capacitatem audientis. diciturque hæc revelatio activa. Quæ cum diversimodè fieri possit, multiplex distingui potest revelatio. Vel enim fit immediate à Deo, vel mediâ tantibus Angelis personam Dei representantibus, ejusve nomine loquentibus, prout facta est Prophetis: vel fit mediâ tantibus per ipsos homines nomine

Dei loquentes aliis hominibus, prout Prophetæ & Apostoli cæteri que sancti Dei homines Spiritu sancto inspirante nobis locuti sunt. Variis item signis Deus uti potest ad manifestationem mysteriorum, scilicet verbis, qualiter locutus est nobis in filio, & per filium, scriptis prout loquitur nobis in Scripturis; infusione iudicii certi de mysterio tamquam à Deo loquente procedentis, aliisque signis, prout multifariam, multisque modis olim Deus locutus est Patribus in Prophetis.

Potest etiam manifestatio fieri, sive Ecclesiæ, sive privatæ personæ: ista solet dici publica, quæ est consequenter regula communis fidei; hæc privata, quæ interdum particularibus Sanctis, v.g. Birgittæ, contigit. Denique revelatio alia est omnino expressa seu explicita; alia implicita, quæ scilicet in priori contingitur; uti v. g. particularis, in univèrsali.

Alia est publica, alia privata.

Alia explicita, alia implicita.

Revelationi activæ (quæ propriè dicta) respondet passiva, quæ est auditio seu perceptio revelationis activæ, seu rei tamquam revelatæ. Activa necit Primam Veritatem seu divinam auctoritatem materiæ credibili, passiva verò applicat intellectui credentis materiam credibilem ut substantem primæ Veritati revelanti: ideoque etiam applicat intellectui ipsam primam Veritatem & revelationem activam. His notatis.

Revelatio passiva quid.

Dico I. Revelatio divina non ingreditur motivum fidei, sed se habet tamquam conditio uniens seu applicans motivum articulo revelato, aut intellectui credentis. Ita Smising Proem. q. 2. n. 60. & seqq. Franciscus Castillo d. 1. q. 3. n. 56. & seqq. & plures alii. Estque in scholis nostris hic modus loquendi receptor. dico modum loquendi: de hoc enim potius quam de re videri potest esse controversia.

22.  
Revelatio est conditio applicatio motivi ad dei.

Ratio Conclusionis est: tum quia testimonium vel dictio præcisè sumpta, seu ratio sui, nil habet, quod moveat ad assensum, vel fidem mereatur, sed totum habet ex ratione seu auctoritate dicentis: ob quod tanta est differentia inter dictum idem à plerumque homine, angelo, Deo ipsum ergo testimonium est mera conditio objectiva, sive applicatio objecti motivi ad materiam creditam & potentiam intellectivam, nec nisi quatenus informatur objecto motivo movet ad assensum, sic ut totum quod propriè & ratione sui movet, sit dicentis auctoritas. Tum quia illud est objectum motivum fidei, in quod ipsa adæquate resolvitur in ratione infallibilis; sic autem resolvitur in ipsam Dei auctoritatem, vi cuius fit tam revelationem, quam rem revelatam esse infallibilem. Tum quia ex nullo capite constat amplius esse tribuendum revelationi, quam quod sit conditio applicativa motivi; applicatio autem non habet rationem motivi; prout cognitio bonitatis, quæ est ejusdem applicatio, non est motivum voluntatis.

tatis: & prout applicatio caloris ad calefactibile non ingreditur rationem calefactivi: prout denique formalis ratio motivi scientiæ non est motivum discursus, sed principia demonstrationis seu medium syllogisticum legitime applicatum potentiae per discursum tamquam conditionem. Confirmatur: si veracitas Dei, sine revelatione posset informare materiam creditam & applicari nostro intellectui, æquè præheremus ad sensum. Unde si angelus mihi significaret, internam voluntatem Petri v. g. (quem novi veracem) de certa rem mihi dicendâ, possem ei assentiri etiam, ob auctoritatem Petri, quantumvis ipse nî de facto mihi dixerit seu testatus fuerit.

23. Satis ob-  
servandum.

Nec refert, quòd soleat prædicatione aliquid credendi assignari etiam in sanctis Patribus, ipsaque Scripturâ 1. Joan. 5. & alibi, quòd Deus id testatus fuerit. Nam sibi prædicatione allegatur motivum applicatum: sicut rectè dicitur lignum comburi, quia ignis est ei approximatus, ubi tamen combustio non refertur in ipsam approximationem tamquam causam.

Non refert etiam, quòd revelatio determinet ad assensum fidei tamquam objectum cognitum. Non enim determinat per se & gratiâ sui, sed solum gratiâ divinæ veracitatis, & quia seu quatenus ab ea informatur, sicut etiam ipsum objectum materiale determinat ad assensum tamquam objectum cognitum, sed quatenus informatum à veracitate divina, in qua tota movendi vis residet. Ob quod applicatio calefactivi distinguitur ab ipso calefactivo seu causâ efficiente caloris in hoc, quòd ipsa non fit ex se productiva caloris, sed tantum ratione ignis v. g. applicati.

Potes quomodo Ecclesiæ sit sufficienter provovum de remedio fidei, ad eò necessariâ ad salutem, si dubium sit, quod sit verum illius motivum, ob quod est elicienda? Resp. quia certum est fidelem credentem mysteris fidei, eò quòd Deus ea revelaverit, sufficienter & ex vero motivo juxta omnes credere, prout hoc sub experientiam cadere potest: etsi disputetur, an revelatio ibi cõcurrat instar motivi, & quæ, activa an passiva &c. Sufficit enim, ut id quod movet, debitè attingatur, etsi dubium nobis sit, sub qua ratione moveat.

24. Ad creden-  
dam privam  
revela-  
tio non re-  
quiritur.

Dico II. Privata revelatio non requiritur ad aliquid credendum fide divinâ: potest tamen privatim alicui hujusmodi revelatio fieri, & res per illam revelata posita sufficienti propositione credi fide divinâ, eadem, quâ creduntur cetera in Scripturis revelata.

Prima pars est contra Hæreticos Recentiores, qui ut pro libidine sua quasdam fidei veritates admittant, quasdam rejiciant, judicem controversiarum statuunt spiritum cuique in particulari res fidei revelantem.

Probaturn quia neque ex natura rei, neque

ex Scripturis aut Traditione quidquam de hoc constat; quin potius contrarium. Nam revelatio facta Prophetis, Apostolis vel Ecclesiæ, si ceteris per eosdem proponatur, obligat eos ad indubitè credendum citra novam & privatam revelationem, quam rarissimo privilegio pauci Sancti sentiunt circa particulares quasdam materias. Unde *Matth. & Marci ult.* præcipitur Apostolis, ut annuntient fidem omni creaturæ rationali, eâ auctoritate, ut qui crediderint, salventur, qui vero non crediderint, peccent, & damnentur, nullè requisitâ privatâ seu aliâ, quàm Apostolis factâ & per eos propositâ aliis communi revelatione. Ob quod fideles *1. Ephef. 2.* dicuntur *superadificati super fundamentum Apostolorum & prophetarum;* quia nimirum fides nostrâ nititur revelatione iis factâ, & per eos Ecclesiæ. Quos circa nolentes iis vel Ecclesiæ, proponenti adhibere fidem, tamquam Hæretici reprobantur. Ipsa quoque Ecclesia in definitionibus suis non procedit ex privatis revelationibus, sed ex propositis, per Scripturam vel Apostolicam traditionem. Estque hic connaturalis modus semperque usitatus, ut primis Ecclesiæ fundatoribus à Deo institutis, per hos ulterius docerentur ceteri, sine quotidianis & privatis revelationibus. Sicut enim Deus primum hominem & animalia per se ipsum fecit, postea verò non nisi per animalia sui generis propagavit: ita quosdam homines per se ipsum fidem docuit, ceteros non nisi per homines.

25. Absurda  
que sequuntur  
ex opposito  
Novatorum  
errore.

Et planè ex opposita Novatorum hæresi sequitur, nò posse certam aliquam & communem omnibus, atque ad eò Catholicam fidem esse, cum nulli posset constare, quid alteri esset occultè revelatû, atque ita quot capita, tot essent de fide opiniones, prout quisque somniaret sibi aliquid esse revelatum, sicq; se oriretur confusionû & errorum etiam invicem repugnantium chaos, Calvino v. g. prætexente spiritum sibi hæc revelare, Lutherò prætexente contrarium. Convertendi quoque nullo indigerent Doctore. Nulli denique errores possent ex Scriptura aut diunde convinci, errantibus ad suum privatam spiritum tamquam ultimum erroris azylum confugientibus; atque ita fides non dirigeretur infallibili regulâ, sed vanis delirantium somniis. De quo rursum infra.

26. 1. Ioan. 2.  
non significatur  
Fideles Doctore  
externo non  
indigere.

Nec refert, quod 1. Joan. 2. dicitur: *Non necesse habetis, ut aliquis doceat vos: sed sicut unctio ejus docet vos de omnibus.* Nam Joannes non significat credentes non indigere Doctore externo, sed solum monet, ut in doctrina per Apostolos, mediante unctioe seu gratiâ Spiritûs sancti, acceptâ maneat, non attendentes novis Doctoreibus, juxta id quod præmiserat: *Vos quod audistis ab initio, in vobis permaneat.* Unâ tamen indicat, se non scribere iis, ad quos epistolam dirigebat



gebat, tamquam rudibus & ignavis, sed jam ante satis in doctrina Apostolica instructis. Nam præmiserat: *Et nolui omnia. Non scripsi vobis, quasi ignorantibus veritatem.* Quæ tamen ab Apostolo dicuntur, non tam ad singulos fideles, & quibus poterant aliqui esse rudiores, sed ad Ecclesias eorum, ad quos scribit; q. d. hæretis Episcopos & Presbyteros, quorum cura & studio vestra Ecclesiæ satis instructæ sunt, & instruuntur in iis, quæ pertinent ad doctrinæ Christianæ veritatem.

27.  
Privatim  
videre reve-  
lata credi  
possunt Fidei  
eandem, quæ  
revelata  
publicè.

Secunda pars Conclusionis est *Catharini*, *Vaga* & communis aliorum contra *Sotum*, *Canum*, & paucos alios. Probat: quia nulla est ratio hic distinguendi habitus, quorum uno credantur revelata Privatim, altero revelata publicè seu toti Ecclesiæ; cum sit idem objectum motivum, ejusdemque rationis revelatio, solum accidentaliter distincta in hoc, quod una applicetur mediante propositione Ecclesiæ, altera non: quod per accidens se habet ad rationem credendi, ad quam per se solum spectat divinum testimonium, perinde an publicè an privatim propositum. Materia tamen revelata est diversa sit, non infert diversitatem habitus, cum de facto idem habitus fidei Catholicæ plurima disparatissima credat. Confirmatur: quia ad *Hebr.* 11. laudatur fides Abrahamæ, Saræ, Isaac, Jephthæ &c. etiam in revelationibus iis privatim factis citra publicam Ecclesiæ propositionem; vel absque eo quod materia revelata concerneret immedie communitatem seu commune bonum Ecclesiæ. Prout è contra per fidem Catholicam credimus multa, quæ per se non spectant ad communem Ecclesiæ statum, v. g. quod canis Tobia habuerit caudam &c.

28.  
Quæ qui-  
m respice-  
horum  
Catholica  
vocatur.

Pertinaciter  
discre-  
dēs sibi pri-  
vatum re-  
velatū, an  
amittat fi-  
dem & sit  
hæreticus.

Verum quidem est, fidem infusam dici Catholicam, id est, communem seu universalem, eod quod credamus per illam ea, quæ nobis per Ecclesiam Catholicam proponuntur: non vetat tamen per ipsam eandem, quæ Catholica dicitur, creati nonnulla privatim revelata. Quare etiam pertinaciter discredens rei privatim revelatæ suppositæ sufficienti propositione, foret infidelis, & amitteret fidem infusam, uti per hæresim; qua ad summum solo nomine differret, quia nempe nomen hæresis accommodatum videtur ad significandum errorem contumacem contrarium communi Ecclesiæ fidei. Hinc Zacharias non credens Angelo nuntianti conceptum Joannis Baptistæ *Lucæ 1.* peccavit, non præcisè contra prudentiam, sed contra fidem. Ideoque *Ambrosius 1.2. in Lucam* ait: *Merito continuo resoluta est lingua ejus, quia quam vincerat incredulitas, fides solvit.* Frequenter tamen hujusmodi revelationibus, veluti suspectis non adhibentes fidem, non sunt infideles, sive quia non satis discernunt, an sint veræ revelationes, sive quia non existimant accipiendas in sensu,

Frequenter  
excusatur  
discredens  
ab infideli-  
tate.

quem primâ fronte præ se ferunt. Quod verò hujusmodi revelationes non sint ceteris regulæ fidei, vel eos non obligent, fit defectu sufficientis propositionis. Possent nihilominus tam solidis fundamentis niti, ut etiam aliis possent reddi prudenter credibiles per fidem supernaturalem.

In iis porro discernendis multâ opus est cautelâ. Et rarè (ut propriâ & aliorum experientiâ didici) fides adhibenda revelationibus mulierum, quæ frequentius parantur illusiones dæmonum & phantasiæ. Attendendum quoque est ad alias personæ, cui revelatio facta prætenditur, qualitates. Item an revelationes sint conformes receptis inter Doctores aut in Ecclesia regulis seu doctrinis; an sit gravis causa, effectus bonus, nulla in serie revelationis; unius vel plurium contrarietas &c. De cetero indubitatum est, Deum ordinariè dirigere nos, & velle nos dirigi per solas fidei communis & morum regulas: eamque viam esse tutissimam ac à periculo deceptionis immunem.

Dico III. Revelatio ad credendum sufficiens non solum est illa, quæ est omnino explicita, quam quidem sufficere per se patet: sed etiam sufficit revelatio facta in æquivalenti. v. g. revelato, quod ad peccandum requiratur libertas, etiam revelatum est, neminem peccare ex necessitate. Dammaro, quod pro solis electis Christus sit mortuus, definitum censetur, quod sit mortuus pro aliquo reprobo. Et generatim dammato uno contradictoriorum, censetur revelatum oppositum, sive contradicens in terminis, sive significans contradictorium. Unde facta revelatione, quod Christus non sit phantasma, sed verus homo, etiam revelatum est, quod consistet vero corpore & animâ. Ideoque sese opponentes, sunt & habentur tamquam hæretici. Revelatio namque afficit rem ipsam seu significatam, perinde quibus vocabis vel terminis, quoque idiomate expressum.

Hinc sequitur, in Revelatione propositionis universalis censeri revelatam particularem metaphysicè evidentè contentam in universali. Unde est de fide, fuisse in arca Noë oves, vaccas, columbas, canes, equos &c. Ratio est: quia significatum termini universalis coincidit cum particularibus, v. g. omnis generis animantia cum ovibus, columbis, canibus &c. Quare in revelatione hujus: omnis homo est creatus in ordine ad beatitudinem, continetur revelatio de hujus & illius hominis creati ordinatione ad vitam æternam.

29.  
Discretio!  
quæ necessa-  
ria circa  
privatam re-  
velationem.

30.  
An vel quæ  
sufficiat ad  
credendum  
revelatio  
implicita.